



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAEDOMINUS PASCIT MEVENERABILI SERVAE DEI IOSEPHAE BAKHITA

BEATORUM HONORES DECERNUNTUR Ad perpetuam rei memoriam. – «Dominus pascit me, et nihil mihi deerit: in pascuis virentibus me collocavit, super aquas quietis eduxit me, animam meam refecit (*Ps* 23, 1-3). Etiam Venerabilis Serva Dei Iosepha Bakhita paternam curam experta est divini Pastoris, qui eam custodivit, eius munimentum fuit ac securitas in asperis servitutis aerumnis eamque per vias, quas humana natura providere non potest ad libertatem duxit, ad fidem et ad aquae fontes eandemque tamquam sponsam sibi delegit atque in domo sua habitare fecit per longissimos annos, concredito ei munere amorem ac misericordiam Dei mundo nuntiandi simulque operam navandi in humilitate et in simplicitate Christi regno in terra aedificando. Orta ea est in Sudania anno MDCCCLXIX, in regione Darfur appellata, luce evangelica ad id tempus non illuminata. Puellula erat felix cum a Nigritarum emptoribus rapta est ac pluries in Africanis mercatibus veniit. Indignitates passa est atque dolores corporis et animi servitutis proprios et etiam crudeles saevitias. In eiusmodi acerbitatibus mite dulcique servavit cor integramque innocentiam et spem vivam. Posterius dixit: «Serva numquam animum demisi, quoniam arcanam in me vim animadvertēbam, quae me sustinebat». Providentia eam Venetias adduxit apud Filias Caritatis (Sorores Canossianas vocatas) Instituti Catechumenorum. Ibi requisivit cognovitque illum Deum, quem puera sibi adesse sensit, nescia quis esset. Anima eius, naturaliter christiana, statim magno ac tenero amore incensa est Domini factaque est fertile solum, quod multos edidit fructus. Immenso cum gaudio die IX mensis tanuarii anno MDCCCXC sacramenta accepit baptismi, Eucharistiae et Confirmationis. Empta margarita pretii, de qua evangelium loquitur (cf. *Mt* 13, 46), non solum est thesaurum suum bene tutata, sed illum auxit Deum laudando illique continenter omni ope serviendo. Prompte igitur vocationi ad vitam consecratam respondit et anno MDCCCXCIII est novitiatum ingressa Filiarum Caritatis; anno MDCCCXCVI est vota temporanea professa et anno MCMXXVII perpetua. Omnino Deo obsequens, quem dominum vocabat, et superioribus, strenua cum constantia fidelis fuit erga suam consecrationem, regulam, vota religiosa, et accurate atque alacriter coquae, templi custodis et ostiariae munia explevit et aliquamdiu animationi missionali interfuit in variis Italiae locis. In Dei amorem firmiter credidit et humiliter grata fuit in Providentiam, quae eam manu duxerat ad Christum cognoscendum et sequendum. Affirmabat: «Si per totam vitam genibus nixa essem, numquam satis gratiam meam bono Deo dicerem». In ipsos raptos grata erat, qui eam tantum vexaverant: «Si illis Nigritarum emptoribus obviam fierem, qui me rapuerunt, et vel illis qui me excruciauerunt, genibus niterer, ut eorum oscularer manus, quia, nisi hoc factum esset, nec christiana essem nec religiosa». A se ipsa aliena et ab inanibus mundi rebus, solum cupivit quam optime Dei facere voluntatem et in Christi imitatione progredi per deprecationem, sacrificium, pietatem erga Virginem Mariam, diligentem munerum cotidianorum executionem. Vera Domini discipula, fidem limpidam suam circumfudit, ardentem suam caritatem, spem suam firmam ac laetam et mira cum simplicitate beatitudines evangelicas coluit et testata est. Fama exornata sanctitatis praesertim apud suas sodales Sorores et incolas oppidi Schio, ubi totum ferme tempus vitae consecratae habitavit, pie obiit die VIII

mensis Februarii anno MCMXXXVII. Eiusmodi fama perdurante, apud Curiam Vicentinam initium factum est canonizationis Causae. Praescriptis canonicis processibus celebratis et prospero cum exitu consuetis peractis inquisitionibus apud Congregationem de Causis Sanctorum, Calendis Decembribus anno MCMLXXVIII declaravimus Sororem Iosepham Bakhita heroum in modum virtutes theologales, cardinales et adnexas exercuisse. Anno MCMXC, apud Curiam Veronensem instructus est processus canonicus de coniecta mira sanatione, patrata die XII mensis Octobris anno MCMXXXVII et deprecationi Venerabilis Servae Dei tributa. Post solitas inspectiones coram Nobis die VI mensis Iulii anno MCMXCI promulgatum est decretum super miro. Statuimus deinde ut beatificationis ritus die XVII mensis Maii subsequenti anni fieret. Hodie igitur, in foro Basilicam Sancti Petri prospiciente, inter Missarum sollemnia hanc sumus formulam elocuti: «Nos, vota fratrum nostrorum Camilli Ruini, Vicarii Nostri in Urbe, et Petri Iacobi Nonis, Episcopi Vicentini, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu, multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus, ut Venerabiles Servi Dei Ioseph Maria Escriva de Balaguer, et Iosepha Bakhita, virgo, filia Caritatis, Canossiana, Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum die ipsorum natali: Iosephi Mariae Escriva de Balaguer die vicesima sexta mensis Iunii, Iosephae Bakhita die octava mensis Februarii, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti». Quae autem his Litteris decrevimus nunc et in posterum firma esse volumus et rata. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XVII mensis Maii, anno MCMXCII, Pontificatus Nostri quarto decimo.* ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status © Copyright 1992 - Libreria Editrice Vaticana